



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Ecclesiae Venusinae, ac deinde Aesinatis  
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori  
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad  
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,  
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon  
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,  
apprimè utile ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetiis, 1706**

Titulus IX. De Foro Pœnitentiali.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62406)

tum legimus à Sac. Conc. Trident. sess. 7. de Sacram. in genere Can. 13. ibi -- Si quis dixerit receptos, & approbatos Ecclesie Catholice Ritus in Solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à Ministris prohibito omitti, aut novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse,

anathema sit: Cum igitur ritus, qui habentur in Rituali Romano, sint ab Ecclesia recepti, & approbati; non video qua ratione nonnulli moderni Authores affirmant, quod Episcopus non possit prohibere, quod Sacramentum Matrimonii non celebretur Domi, sive extrà Ecclesiam sine sua licentia.

## TITULUS IX.

### De Foro Pœnitentiali.

Facultatis confessiones audiendi.

#### FORMULA I.

#### SUMMARIUM.

- 1 Episcopus concedit Confessariis approbationem ad tempus.
- 2 Si concedit cum clausula -- Ad nostrum beneplacitum, potest quantumvis revocare, & num. 3. ubi redditur ratio.
- 4 Confessarii audientes confessiones in Ecclesia Parochiali debent de equitate petere licentiam à Parocho.
- 5 Confessarii, etiamsi Regulares sint suscipientes confessiones infirmorum debent certiorare Parochum.
- 6 Confessarii non debent audire confessiones mulierum, & puerorum extra Sedem confessionalem, vel è conspectu non interposita Crate, sub pœna in Formula expressa.
- 7 Sacramentum pœnitentiæ extrà casum infirmitatis conferri non debet, nisi in Ecclesia, quod facere debent etiam Confessarii Regulares.
- 8 Confessarii quando dicantur sollicitare Pœnitentem ad turpia.
- 9 Pœnitentes tenentur Confessarios sollicitantes denunciare, etiamsi sollicitationi consenserint, alioquin non

possunt absolvi.

- Denunciandus est Sacerdos non Confessarius, qui fingit se esse talem, & ad turpia sollicitat, ibid.
- 10 Confessarius sollicitans potest absolvi ab alio quocumque Confessario.
  - 11 Confessarius executor litterarum Sac. Pœnitentiariæ debet esse Doctor saltem privilegiativè.
  - 12 Confessarius Executor litterarum Pœnitentiariæ debet esse actu approbatus ab Episcopo Diœcesano, in cuius Diœcesi debent exequi.
  - 13 Explicantur clausulæ omnes, quæ continentur in litteris Pœnitentiariæ à n. 4. usque ad num. 104. nempe. Clausulæ communes num. 12. 13. 14. 15. 16. & 17.
  - 18 Quid dicatur occultum, quid publicum, & n. 19.
- Clausulæ litteræ pro dilatione Voti simplicis à n. 21. ad 28.
- Clausulæ litteræ super transgressione Voti castitatis à n. 29. ad 32.
- Clausulæ litteræ commutationis Voti simplicis Religionis à nu. 33. ad 36.
- Clausulæ litteræ commutationis Voti Religionis à n. 37. & 38.
- Clausulæ litteræ commutationi Voti castitati à n. 39. & 43.
- Clausulæ litteræ dispensationis impedimenti occulti affinitatis à nu. 44. ad 52.
- Clausulæ litteræ dispensationis super impe-

impedimento primi gradus ex copula illicita ad remanendum in jam contracto à num. 53. & 59.  
 Clausula litteræ dispensationis super incestu non expresso in litteris Datarie à num. 60. & 63.  
 Clausula litteræ dispensationis de jam contracto super impedimento reticito Datarie num. 64. & 65.  
 Clausula litteræ dispensationis pro consanguineis, qui ignorantes gradum prohibitum contraxerunt num. 66. & 67.  
 Clausula litteræ dispensationis pro iis, qui Matrimonium contrahere desiderant cum impedimento criminis occulto à num. 68. & 73.  
 Clausula litteræ pro eo, qui manus violentas in Clericum injectit in casibus occultis à num. 74. ad 77.  
 Clausula litteræ pro eo, qui Clericum percussit, aut occidit, & neque ad Urbem accedere, neque suum Episcopum tutò adire potest num. 78. & 79.  
 Clausula litteræ dispensationis ab ir-

regularitate ob homicidium occultum à num. 80. ad 87.  
 Clausula litteræ dispensationis ab irregularitate proveniente ex defectu occulto natalium à numer. 88. & 89.  
 Clausula litteræ rehabilitationis pro Sacerdote Simoniaco à num. 90. ad 93.  
 Clausula litteræ rehabilitationis ad Beneficia obtinenda à num. 94. 95. & 96.  
 Clausula litteræ condonationis fructuum Beneficiorum male perceptorum à num. 97. ad 105.  
 106 Instructio Confessariorum pro dirigendis negociis Penitentium ad Penitentiarium Urbis, & num. 107. 108. 109. & 110.  
 111 Quomodo sit absolvendus interdictus.  
 112 Quomodo absolvatur Clericus suspensus.  
 113 Excommunicatus ob lesam immunitatem Ecclesiasticam non potest vigore Jubilæi absolvi in foro externo.

N. Dei &c. Episcopus N.

*Dilecto Nobis in Christo N. salutem in Domino sempiternam.*

Cupientes Nos in quantum possumus saluberrimi Sacramenti Penitentię administrationem in nostra Dicecesi, ea qua majori potest doctrinæ sufficientia, ac morum integritate exerceri: Cum Te hisce dotibus ornatum non immeritò censeamus, & per Nos, ac nostros Examinatores examinatum, satis capacem, idoneumque repererimus: Idcirco ad tantum administrandum Sacramentum tenore præsentium Te approbamus, omniumque Penitentium in nostra Dicecesi confessiones audiendi, eosque sacramentaliter absolvendi, præterquam à casibus Sanctæ Sedi, ac Nobis reservatis (excepto mortis articulo) opportunam, & ad... duraturam concedimus facultatem; excipimus tamen Sanctimoniales. Præcipimus quoque, ut absque *Parochorum licentia*, aliorumve *Superiorum*, in quorum Ecclesiis volueris confessiones excipere, id efficere non debeas. Tibique insuper injugimus, ut quotiescumque ægrotantium confessiones audieris, quamprimum ea de re eorum *Parochum certiozem* reddas sub pœna *privationis facultatis* hoc administrandi Sacramentum ipso facto incurrenda: Sub eademque pœna Mulierum non infirmarum, puerorumque decimum sextum annum non attingentium confessiones audire extrà *Sedem confessionalem*, & non *interposita Crate* Tibi omninò vetamus. Denique Te in Domino enixè hortamur, ut ea qua decet modestia, ac puritate conscientię, ad tale Sacramentum ministrandum in *Ecclesia superpelliceo*, & stola indurum accedas, & quæ per

Monacelli Form. Pars I.

R 3

Sacros

SACROS CANONES, & Constitutiones Summorum Pontificum, & in specie per Bullam Gregor. XV. *Contrà Sollicitantes*, atque per nostras Synodales Constitutiones, *vel per Sacra Pœnitentiarie de Urbe litteras ordinata*, & commissa sunt, & erunt, attentè legas, perpendas, & fideliter exequaris; ne Divinæ ultionis contrà Te fulmina provoces, & ne ex hoc Divino pietatis fonte, à quo tot animarum salus emanat, tibi metipſi mortis æternæ venenum haurias, cæterisque propines. In quorum &c. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

ADNOTATIONES.

1. **E**T AD... DURATURAM. Episcopus habito respectu ad litteraturam, morum probitatem, & personæ qualitatem, potest hanc facultatem vel ad tempus, vel illimitatè, & absolute concedere ejus arbitrio, regulato tamen, & præsertim cum illis quorum mores ignorantur. Item advertere debet, quod, si prævio examine absque temporis præfinitione licentiam concedit, non poterit ita approbatos, præsertim si Regulares sint, iterum ad examen revocare, aut facultatem eis suspendere absque nova causa superventa (nisi agatur de approbatis ab Antecessore, vel Vicario Generali, qui possunt iterum ab Episcopo ad examen sine alia causa vocari) si verò approbat ad tempus, puta ad sex menses, vel ad annum, eo elapso facultas expirat absque alia revocatione; sed antequam tempus labatur, non debet item sine justa causa approbationem datam revocare.

2. Si autem facultatem tribuat cum clausula -- *Ad nostrum beneplacitum* (quicquid dicant Lantusch. *Theat. Regular. verb. Confessarius numer. 10. versic. Adverte*, & alii Authores Regulares propriam causam tuentes apud Passerin. *de statut. hom. tom. 2. quæst. 187. art. 1. num. 286. & 194. & seqq.*) poterit quodcumque sibi placuerit licitè eam revocare, ut declaravit *Sac. Congr. Episcop. & Regul. in Papien. 12. Martii 1619.* prout sequitur. -- *Quæsitum fuit, an Ordinarii extra præfatas duas causas in Decreto contentas facultatem Regularibus audiendarum confessionum ad bene-*

N. Cancellarius Episcopalis.

*placitum ab ipsis concessas ad libitum revocare possint? Sacra Congregatio respondit, quod concessio ad beneplacitum facta quando-cumque revocari potest.*

3. Clausula enim *ad beneplacitum* idem significat, quod si diceret *arbitrio nostro*, & *donec Nobis placuerit*, ut explicat Barboſ. *de Claus. claus. 3. num. 1.* & idem comprobatur supra *Concil. sess. 23. cap. 15. de Reform. & de jur. Eccles. lib. 1. cap. 43. num. 208. & seqq. Nicol. lucubr. Can. lib. 5. tit. 38. numer. 9.* qui de praxi concedendi hujusmodi licentias ad tempus testatur, *Capon. discept. 133. num. 47. & 49.* & hodiè habemus quoad Regulares Constitutionem Clem. X. quæ incipit *Superna*: Cum etenim recta administratio hujus Sacramenti præcipuè pendeat à morum qualitate, qui variabiles, & mutabiles sunt, standum est judicio Episcopi, qui non præsumitur sine causa beneplacitum concedere, & revocare.

4. **ABSQUE PAROCHORUM LICENTIA.** Hæc clausula non importat conditionem, sed modum, quem debet Confessarius servare, & adhibere cum Parocho, sive alio Ecclesiæ Rectore, saltem de æquitate, ut dicit Bonac. *de Sacram. Pœnit. disp. 5. quæst. 7. punct. 4. §. 1. num. 18.* & ut evitentur jurgia, scandala, & contentiones, ex animadversis à Passerin. *de hom. stat. tom. 2. quæst. 187. art. 1. num. 330. & 331.*

5. **EORUM PAROCHUM CERTIOREM REDDAS.** Potest Episcopus hoc percipere sub pœna in Formula expressa etiam Confessariis Regularibus vigore citatæ Bullæ Clement. X. §.

Ad

Ad hæc circa fin. & aliorum Decretorum, quæ referunt Barbof. de jur. Eccles. libr. 1. cap. 43. num. 214. & Gavant. manual. Episcop. verb. Confessarius num. 27.

6. EXTRA SÆDEM CONFESSIO-  
NALEM, ET NON INTERPOSITA  
CRATE. Prohibitionem hanc audien-  
di mulierum, puerorumque Confessiones  
extrà Sedem confessionalem, vel è con-  
spectu, & non interposita crate sub pœ-  
na suspensionis ab audiendis confes-  
sionibus, laudavit Congreg. Episcop. & Re-  
gul. in Collen. 18. Decembris 1693. referen-  
te clar. mem. Cardin. Petrucci, & postea  
litteris encyclicis injunxit Sac. Congreg.  
Inquisitionis sub datum Romæ 4. De-  
cembris 1694.

7. IN ECCLESIA. Valdè con-  
veniens est, quod hoc Sacramentum ex-  
trà casum infirmitatis, aut alterius hone-  
stæ causæ, non nisi in Ecclesia confera-  
tur, Nicol. in fofc. verb. Confessarius num.  
24. ubi quod Sac. Congregatio approbavit  
Ordinarii Constitutionem, qua prohibe-  
batur, quod Regulares non audirent con-  
fessiones Sæcularium in propriis Cellis,  
imò & laudavit in Neapolitana 29. Martii  
1592. Gavant. Manual. Episcop. verb. Con-  
fessarius numer. 38. & ita respondit Ritual.  
Rem. tit. de Sacram. Pœnit.

8. CONTRA SOLLICITAN-  
TES. Sub isto verbo -- Sollicitantes post  
Bullam Gregor. XV. venit non solum  
Confessarius, qui in actu Sacramentalis  
confessionis, vel ea expleta, provocat,  
allicit, & excitat Pœnitentem ad inhon-  
estam cum ipsomet Confessario, aut cum  
aliis: Sed etiam quicumque Confessarius,  
qui ante, vel post Confessionem imme-  
diatè, occasione, aut prætextu Confes-  
sionis, quamvis non secutæ, seu extrà occa-  
sionem Confessionis in Confessionario, aut  
quocumque alio loco ad id electo pro  
audiendis Confessionibus simulans ibidem  
Confessiones audire, Pœnitentes provo-  
cat ad illicita, vel cum ipsis inhonestos  
sermões habet.

9. Monendi sunt igitur Pœnitentes si-  
vè mares, sive feminae, quod tenentur  
revelare Sancto Officio Confessarios ad  
turpia sollicitantes modo præmissis, etiam  
si ipsi Pœnitentes sollicitationi consense-

rint, vel fuerint primi ad sollicitandum  
Confessarium, dummodò sermonibus in-  
honestis aures, & consensum præbuerit:  
Alàs recusantes illos denunciare non pos-  
sunt absolvi: Imò vigore Edictorum San-  
cti Officii incidunt in excommunicatio-  
nem; quia cum hujusmodi Confessarii  
reddantur suspecti de hæresi, veniunt  
omninò denunciandi, nulla præmissa fra-  
terna correctione, & absque ulla excu-  
satione parvitatæ materiæ, quæ non ad-  
mittitur in lubrico luxuriæ, ut probat  
Dian. part. 3. tract. 5. Miscellan. resol. 1.  
quem refert, & sequitur Donat. prax. rer.  
Regul. tom. 4. tractat. 13. quest. 47. num. 2.  
& seq. sicuti denunciari debet ille Sacer-  
dos, qui licet ab Ordinario ad audiendas  
Confessiones non sit approbatus, adhuc  
fingit se esse Confessarium, & modo quo  
suprà sollicitaret ad turpia, Lantusch.  
Theatr. Regul. verb. sollicitare num. 7.

10. Omnes autem Confessarii tenentur  
scire sub pœna peccati mortalis obligatio-  
nem, quam habent monendi Pœnitentes,  
quod, si fuerint sollicitati, debent de-  
nunciare Sancto Officio Confessarium  
sollicitantem: Qui poterit in Sacramen-  
tali Confessione absolvi ab hoc delicto à  
quocumque Confessario approbato, cum  
quoad ipsum non sit casus reservatus,  
Lantusch. ubi supra num. 9.

11. VEL PER SACRÆ POE-  
NITENTIARIÆ DE URBE  
LITTERAS. Litteræ Sac. Pœnitentiariæ  
de Urbe, quæ sæpè diriguntur Confessa-  
riis, solent regulariter dirigi cum clausu-  
la -- Magistro, vel Doctori, quæ ita debet  
intelligi, ut talis Confessarius sit verè Ma-  
gister, vel Doctor in aliqua Universita-  
te: Nec sufficeret esse Theologum, vel  
Professorem, aut Lectorem in aliqua Re-  
ligione, nisi illa Religio aliquo gaudeat  
privilegio, quale concessit Innocen. XI.  
Lectoribus Jubilatis Ordinis Minoris ob-  
servantiæ, & habet Societas Jesu, &  
alii plures Regulares, qui communicant  
in dictis privilegiis.

12. Item diriguntur cum alia clausula --  
Ex approbatis ab Ordinario, qua significa-  
tur, quod Confessarius eligendus pro exe-  
cutione litterarum debet esse approbatus  
ab Ordinario, in cujus Diœcesi debet fieri.

R 4 execu-

executio, & quod sit ex approbatis actu, idest quod non fuerit elapsum tempus approbationis ipsius: Si autem Lator esset Regularis, sufficit, quod Confessarius sit approbatus à Superioribus Ordinibus, qui sunt Ordinarii Religiosorum: Si verò litteræ dirigantur pro Monialibus, oportet quod Confessarius sit approbatus pro Monialibus, quamvis non esset pro illo Monasterio, in quo degit Monialisatrix: Nisi tamen in litteris detur amplior facultas, prout solet dari etiam non approbatis pro Monialibus.

13 Et quia præfatæ litteræ, sive dirigantur Magistris, & Doctoribus, sive simplicibus Confessariis, continent semper quamplures clausulas communes, & particulares, quas omnes methodicè, solidè, clareque explicat, & expendit manu ductio ad praxim dicti Tribunalis Typis edita anno 1688. opera P. Tiburtii Navar. Ordin. Recollectorum Sancti Francisci in Basilica Lateranensi Pœnitentiario, non piguit pro recta executione notabiliora, ac obcuriora, quæ difficultatem Confessario Executori ingerere possunt, hic summam, paucis mutatis, & additis referre.

12 Et primò notandum est, quod litteræ huiusmodi semper habent in ventre clausulam -- *Quatenus si ita est*; cuius sensus secundum mentem Sac. Pœnitentiariæ est, quod Confessarius inquiret, an conditiones, sine quibus non fieret gratia verificentur, verb. gr. in impedimentis Matrimonialibus, an impedimentum sit occultum, & an ex separatione verisimiliter orientur scandala: & in Voto Religionis, an causa, seu motivum principale, verb. gr. infirmitatis voventis, aut necessitatis Genitorum ipsius, ob quas, vel ob quam conceditur gratia, sint veræ: Hæc autem veritatis notitia, non per testimonia, aut scripturas, sed ex ipsa Pœnitentis assertione, cui debet credi (nisi de opposito constet) est accipienda.

15 Et aliam contentam illis verbis -- *Absolvas, vel dispenses in foro conscientie*, quibus innuitur, quamcumque absolutionem, & dispensationem virtute litterarum Sac. Pœnitentiariæ à Confessario impertiendam, esse pro foro conscientie tantum, & nullo modo suffragari pro fo-

ro externo, quod quidem debent Confessarii advertere, & Pœnitentem monere.

16 Item aliam his verbis -- *In ipso actu Sacramentalis confessionis tantum*, quæ clausula apponitur in omnibus litteris, quæ diriguntur Confessariis pro quibuscumque personis, & quibuscumque materiis. Ex quo sequitur debere omninò præmitti Sacramentalem Latoris confessionem in executione litterarum, alias executio non esset valida, & post absolutionem confessionis Sacramentalis, semper debet Confessarius etiam proferre formam gratiæ concessæ juxtà singulas subjectas materias.

17 Item aliam, quæ frequenter occurrit his verbis -- *An præmissa, sive expostia sint occulta*: Et hæc maxime apponi solet, ubi agitur de dispensationibus impedimentorum Matrimonialium, & irregularitatum, de rehabilitationibus, & condonationibus, & ubicumque apponatur semper erit punctualiter observanda, quia est conditio sine qua Sac. Pœnitentiaria non dispensaret; Et si inveniatur, quod tale delictum, tale impedimentum, talis irregularitas, talis inhabilitas non sit occulta, sed publica, aut famosa, litteræ Latori non suffragantur, nec eas Confessarius executioni demandare debet.

18 Occultum autem hic dicitur illud, quod à nemine, vel tam paucis scitur, quod neque sit famosum, neque manifestum, neque notorium facti, vel juris. Undè etiam si aliquibus notum sit, & etiam si sit secundum se probabile in iudicio, dum interim non probatur, neque ad iudicium deferatur, est adhuc occultum: sic verb. gr. si res, de qua agitur, sit nota duobus, vel tribus alicujus loci, aut Communitatis, aut Capituli adhuc est occulta: Si in Oppido est nota quinque, aut sex personis, in Civitate verò septem, aut octo, modo scilicet ab illis jam non fuerit divulgata, aut ex circumstantiis non appareat (rem quidem nunc occultam) facile tamen publicandam: Et idem esset, si delictum fuit ad iudicium delatum, nec tamen fuit probatum, nam elapso anno præsumitur occultum, si reus fuit absolutus  
tam

tamquam non repertus culpabilis, & de jure punibilis, vel etiam ex hactenus deductis.

19 Advertere etiam debet hic Confessarius, quod delictum potest esse publicum materialiter, & esse simul formaliter occultum, ver. gr. Missa celebrata publice ab excommunicato occulto est actus publicus, & hoc delictum est materialiter publicum, non tamen formaliter, quia cum occulta sit excommunicatio, qua Sacerdos celebrans innodabatur, occultum erat etiam talem celebrationem esse ei à jure prohibitam, & consequenter etiam irregularitas: Insuper potest esse publicum, quod Sacerdos Missam celebraverit post excommunicationem incursum, sed quia putabatur ante absolutionem obtinuisse, irregularitas inde secuta occulta est: Et in his casibus poterit executor delictum, vel poenam ex eo secutam occultam judicare, & absolvere, vel dispensare.

20 Item potest delictum esse publicum, & occultum ratione diversorum locorum, ver. gr. publicum Romæ, occultum in Hispania; sed in hac facti occultui, & publici specie, nisi in litteris Sac. Pœnitentiariæ detur Confessario expressè facultas, nullo modo dispensandum venit.

Præter igitur clausulas communes, alias speciales in casibus particularibus Confessarius ponderare debet: Et primò.

*In Litteris pro dilatione Voti simplicis Religionis.*

21 Se offert clausula -- *Consideratis, quæ erunt consideranda*; per quæ verba indicatur Confessario, ut examinet veritatem causæ, & necessitatem postulatæ dilationis, & deinde ponderet periculum spirituale penitentis, si remaneat in sæculo, ne sub prætextu alienæ necessitatis, ponat se in periculo suæ æternæ salutis, considerando, ex una parte causam remanendi in sæculo, & ex alia conditionem, occasiones, in quibus Lator versatur, mores, vel malos habitus illius, super quibus exactè eum interrogabit.

22 Secunda clausula dictarum litterarum continetur, ibi -- *Dummodo illis cum affectu proficiat, & interim cœlibem vitam du-*

*cat*: per quæ verba Confessarius debet inquirere à penitente quomodo proficiat pariter, & illum monere de obligatione, quæ ei interim restat durante impedimento vitam cœlibem ducendi.

23 Tertia clausula, ibi -- *Et aliqua Religionis, quam ingressurus est, quotidie faciat*. Hic innuitur Confessario, quod debeat imponere penitenti aliqua exercitia pietatis ex his, quæ fieri solent in Religione, quam vovit.

24 Quarta his verbis: *Ita quod cessantibus necessitatibus parentum præfatum Votum adimplere teneatur*; per quæ Executori imponitur, ut moneat penitentem non sibi dispensatum in Voto, sed concessam dilationem, ac propterea teneri cessante necessitate, vel causa, ob quam est concessa dilatio, suum Votum implere.

25 His prænotatis, post consuetam absolutionem sacramentalem à Censuris, & peccatis Confessarius subjungat -- *Insuper auctoritate Apostolica, specialiter mihi delegata, Tibi dilationem adimplendi Votum Religionis, quod emisisti, concedo. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Passio, &c.*

*In Litteris transgressoris Voti simplicis Religionis.*

26 Observabit Confessarius primam clausulam contentam in illis verbis -- *Injuncta ei pœnitentia salutari*. Etenim et si talis absolutio pro his, qui emisso Voto simplici ingrediendi Religionem, deinde matrimonium in facie Ecclesiæ contraxerunt, & successivè consummarunt, à quo cumque Confessario dari possit, cum non sit ex reservatis Sedi Apostolicæ, nihilominus frequenter à Pœnitentiaria solent litteræ expediri, & ideo per dictam clausulam debet Confessarius imponere penitentiam particularem Latori ob talem transgressionem.

17 Secundam, ibi -- *Ita quod si uxori supervixerit, eodem Voto teneatur, ut prius, & ita illum moneas*; per cujus clausulæ verba monendus est Penitens de obligatione, quæ ei restat adimplendi Votum, si alteri conjugii supervixerit: Quando autem Penitens probabiliter crederet, seu præ-

prævideret, se non posse, etiamsi Conjugi superviveret, Votum adimplere, posset commutationem absolutam petere, ut se eximat ab obligatione recurrenti iterum ad Sac. Pœnitentiariam.

28. His peractis, post Sacramentalem absolutionem, ut supra, Confessarius dicat -- *Deinde auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, Te, non obstante Voto Religionis, quod alias emisisti, in Matrimonio remanere, & debitum conjugale exigere, & reddere posse declaro. In nomine Patris, & Filii, &c. Passio Domini Nostri, &c.*

*In Litteris super transgressione Voti Castitatis.*

29. Quamvis transgressor Voti Castitatis, qui matrimonium contraxit, & consumavit, absolutionem à quolibet simplici Confessario, dispensationem verò ab Ordinario loci posset obtinere: tamen, quia sæpè ad Sac. Pœnitentiariam recurritur, solent illius litteræ inter cæteras clausulas sequentes continere.

30. Prima his verbis -- *quatenus de illius incontinentia timendum sit, cum eodem, ut debitum conjugale etiam exigere licitè valeat, misericorditer dispenses.* Per quam imponitur Confessario, ut perquirat an esset periculum incontinentiæ, si ipse remaneret privatus facultate petendi debitum, quod quidem facile præsumitur: moneat autem Confessarius penitentem, quod etsi usum matrimonii liberum habeat, si extra matrimonium interim fornicatus fuerit, sciat se contra Votum Castitatis facturum.

31. Secunda in illis verbis -- *Quod si Uxori supervixerit, eodem Voto teneatur, ut prius?* Idcirco Confessarius debet admonere penitentem, quod si contingat Conjugem mori, & ipse supervivat, eodem Voto erit adstrictus, itaut aliud matrimonium contrahere non possit absque nova dispensatione.

32. His præmissis, aliisque clausulis adimpletis, post solitam absolutionem Confessarius dicat -- *Item auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata te non obstante Voto Castitatis, quod emisisti, & transgressus fuisti, in dicto matrimonio remanere, & debitum conjugale reddere posse, & debere, declaro, & ut idem debitum etiam*

*exigere licitè possis, & valeas, tecum eadem auctoritate Apostolica dispenso. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.*

*In Litteris commutationis Voti simplicis Religionis.*

33. Commutatio Voti simplicis Religionis, vel datur ob stimulos carnis, propter quos vovens diffidit, si Religionem ingrediatur, vivere posse continenter, ad effectum, ut possit matrimonium licitè contrahere, (quæ facultas datur etiam mulieri voventi, quæ non habet dotem sufficientem pro ingrediendo Monasterio, si remanendo in sæculo esset in periculo incontinentiæ: A vel datur ex causa debilis complexionis, habitualis infirmitatis, ætatis gravis, &c. & tunc conceditur cum conditione, dummodo vitam cælibem ducat, quando non sit periculum incontinentiæ.

34. Una ex clausulis talis commutationis est in illis verbis -- *Et in alia pœnitentiæ opera perpetua, idest præpter Sacramentalem Confessionem mensuram, debet Confessarius imponere aliqua pœnitentiæ opera, quæ perpetuò durent, licet non quotidiana, & sic attempta conditione, & complexione Pœnitentis poterit injungere jejunium feriæ sextæ; aut abstinentiam à carnibus aliqua die per hebdomadam, sive à lacticiis feria sexta, & Sabbato, visitationem Ecclesiæ Ordinis, quem voverat, semel in hebdomada, vel mense, aut sumptionem Eucharistiæ toties quoties Confessionis mensuræ obligationem exequetur.*

35. Alia est in his verbis -- *Inter quæ opera sint aliqua Religionis, quam vovit, seu ingressurus fuisset, quæ quotidie facere teneatur, ut ea adimplens memor sit obligationis, quæ hujusmodi Voto adstringebatur.* Ad cujus adimplementum oportet, ut Confessarius injungat aliqua in plurali, idest ad minus duo eorum, quæ in Religione, quam vovit, fieri solent, v. gr. gestationem cordulæ, & recitationem quotidianam quinque Pater noster, & Ave Maria, ei qui vovit Ordinem Sancti Francisci, vel etiam examen conscientiæ; & sic proportionabiliter de aliis Religionibus, discretè tamen, ne nimis

gra-

graventur Pœnitentes : quæ omnia debent esse perpetua, quia relaxatio Voti facta per commutationem perpetua est, de quo monendus erit penitens.

36. His animadvertis, post absolutionem ordinariam à censuris, & peccatis Confessarius subdat -- *Et auctoritate Apostolica, mihi specialiter delegata, ego tibi Votum Religionis, quod emisisti, in opera pietatis, quæ tibi præscripti dispensando : ad effectum licitè contrahendi matrimonium (sive ad effectum remanendi in seculo in vita calibe) commuto. In nomine Patris &c.*

*In Litteris commutationis Voti Religionis pro Clericis Sacro Ordine insignitis.*

37. Observanda erit clausula in his verbis contenta -- *partem videlicet earum Penitentiarum, quas Regulares Ordinis, quem vocit, ex præscripto ipsius Ordinis in abstinentiis, vel jejuniis, aut anterioribus indumentis sub ire solent : Quorum vigore Confessarius debet imponere pœnitenti perpetua opera saltem duo, sed non quotidiana, quæ sunt pars earum Penitentiarum, quæ in Ordine, quem voverat, exercentur, discretè procedendo ne nimis gravetur. Præter hæc perpetua, & non quotidiana, etiam aliqua quotidiana imponet mitiora, v. gr. Litanias B. M. vel commemorationem institutionis Ordinis.*

38. Et post consuetam absolutionem à peccatis, & censuris subjungat -- *& auctoritate Apostolica, mihi specialiter delegata, Ego tibi Votum Religionis, quod vovisti, in opera pietatis, quæ tibi præscripti dispensando ad effectum licitè remanendi in seculo in vita Clericali, commuto. In nomine Patris &c.*

*In Litteris commutationis Voti Castitatis.*

39. Gratosè solet S. Pœnitentiaria commutare Votum Castitatis, vel quando vovens, sive sit Vir, sive Mulier, ita stimulis carnis agitur, ut continenter vivere non possit, vel etiam ad conferendam familiam nobilem; & quoad mulieres dispensat, etiam si non patiantur stimulos, sed maneant in aliquo periculo ammittendi pudicitiam, utpotè quia

pauper, & pulcra, vel extitit orbata parentibus.

40. Ex clausulis autem talis confessionis una est in his verbis -- *sibi que Votum præfatum ad hoc tantum, ut Matrimonium contrahere legitime possit, dispensando, commuto : Ex qua datur intelligi: quod commutatio Voti fit tantum ad effectum contrahendi matrimonium, & idè Confessarius debet monere Pœnitentem de obligatione Voti, quæ semper eum adstringit donec matrimonium contrahat.*

41. Altera in his verbis -- *& in alia penitentia opera per te injungenda, tamdiu duratura, quamdiu commutationi prædictæ locus erit : Debet igitur Confessarius præter Sacramentalem Confessionem menstruam pœnitenti imponere alia penitentia opera, verb. gr. abstinentiam ab ovis, & lacticiis feria sexta, vel Sabato, aut jejunium, aut semel in hebdomada disciplinam, aut Officium parvum B. M. V. vel septem Psalmos Penitentiales, aut Nocturnum Officii Mortuorum, aut recitationem Rosarii : Hæc autem cum debeant esse plura, sufficet quod sint duo dumtaxat : Ea autem quæ quotidiana esse debent, præter opera mox expressa faciliora sint, ut monent verba clausulæ subsequentes.*

42. Moneat itaque Confessarius Pœnitentem, quod commutatur ei Votum Castitatis ad effectum contrahendi semel matrimonium, & quod propterea si contingat ipsum supervivere uxori, reviviscit obligatio Voti, & tenetur castitatem servare, ut prius, & per omnem alium actum carnis peccaminosum facit contra Votum, & tenebitur in Confessione hanc Voti circumstantiam aperire, nec posse mortua prima Uxore aliam ducere absque nova dispensatione.

43. His peractis, post solitam absolutionem dicit -- *& auctoritate Apostolica, mihi specialiter delegata, tibi Votum Castitatis, quod emisisti, ad effectum, ut matrimonium contrahere, & debitum conjugale reddere, & exigere licitè possis, & valeas, in opera tibi præscripta dispensando, commuto. In nomine Patris &c.*

*In Litteris dispensationis impeditenti  
occulti affinitatis provenientis  
ex copula illicita.*

44. In executione harum litterarum prima clausula notanda est in his verbis -- *sublata occasione peccandi cum dictæ Mulieris Matre*, per quam insinuat Confessario non debere absolvere, nec dispensare, nisi prius pœnitens occasionem peccandi auferat præsertim voluntariam, nam quoad necessariam, quam non est in potestate Pœnitentis auferre, debet Confessarius insinuare modos, quos præscribunt DD.

45. Secunda est, ibi -- *injuncta ei pro tam enormi libidinis excessu gravi pœnitentia salutari*, quæ quamvis debeat arbitrari discretionem Confessarii, regulariter injungi debet jejunium per sex menses semel qualibet hebdomada: recitatio tertiæ partis Rosarii per sex menses tribus diebus qualibet hebdomada, vel aliquod aliud pietatis opus, arbitrio ipsius Confessarii imponendum, qui considerata qualitate, flatu, sexu, ætate, & complexionem Pœnitentis poterit pœnitentias prædictas, etiam augere, at tam prudenter, ut exinde numquam pœnitentis delictum detegi possit.

46. Tertia, ibi -- *injunctis quæ de jure fuerint injungenda*: hac clausula admonetur Confessarius, quod non solum debet attendere delictum, seu impedimentum, pro cuius absolutione, seu dispensatione committitur, sed etiam ad omnia alia, quæ ipsi in sacramentali Confessione necessariò præmittenda à pœnitente manifestantur; & sic debet secundum exigentiam ei injungere præter ea, quæ in litteris Sac. Pœnitentiariæ specialiter mandantur, ea omnia, quæ ratio dicitur.

47. Et hinc notandum, quod licet sæpè in litteris Pœnitentiariæ præcipiatur Confessario, quod injungat juxta naturam delicti graves, & diuturnas pœnitentias. adhuc tamen erit locus regulato arbitrio, cum semper habenda sit reflexio ad subjecta, quibus sint imponendæ, nempe ad statum, ætatem, complexionem, sexum, & obligationes pœnitentis; & his benè perpensis fiet, ut pœnitentia, quæ ex se videretur levis,

& improporcionata delicto, erit verè gravis, & diuturna, prout à tali persona patrato.

48. Secundò notandum, quod dum exprimitur, ut Confessarius Pœnitenti aliquam eleemosynam erogandam injungat, attendenda est cum gravitate delicti, possibilitas latoris, qui si valde pauper sit, aut alio impedimento prohibeatur eleemosynas facere, numquam eum omninò eximat ab hoc onere. Cum enim in parva, vel minima quantitate salvetur substantia eleemosynæ, ad hanc eo modo, quo poterit, præstandam obligabit.

49. Tertiò notandum, circa restitutiones, satisfactiones, ablationes occasionum peccandi, cum aliquo, vel aliqua, quæ nonnumquam in his litteris præcipiuntur injungi, quod Confessarius non tenetur propterea exigere à Pœnitente ultra possibilitatem ipsius: sed debet ita se gerere, sicut se gereret in casibus similibus, quæ occurrerent in aliorum pœnitentium confessionibus, considerando videlicet statum, & possibilitatem ipsorum, & si inveniat eos non posse unquam restituere, non propterea dimittat absque absolutione, aut dispensationis gratia, sed loco restitutionis imponat eis aliqua temporalia auxilia; aut servitia erga eum, cui restitutum debetur: etsi inveniat non posse quidem pro tunc restituere, futurum tamen, ut aliquando possint, exigat ab eis promissionem, vel juramentum, ut quamprimum poterunt restituant.

50. Eodemque modo se gerat circa remotionem occasionum proximarum, non quidem indulgendo nimium pœnitentibus, quibus in hisce materiis oportet esse rigidum, & severum, sed considerando impossibilitatem tollendi absque scandalo hujusmodi occasiones, tunc vel debet dilationem aliquam concedere pœnitenti, vel remedia præservativa remanenti in tali occasione subministrare.

51. Quarta autem clausula est in illis verbis -- *ita quod hujusmodi absolutio, & dispensatio in foro judiciali nullatenus suffragentur*; idest si detur casus, quod impedimentum ex occulto fiat publicum, & in judicium deducatur, gratia hujusmodi

modi dispensationis in foro fori non suffragetur, & tunc ad Datariam esset recurrendum, quamvis penitens in conscientia esset bene dispensatus, itaut si absque scandalo haberet copulam cum sua conjugee nullum committeret peccatum.

52. Quibus, & aliis clausulis in litteris contentis consideratis, ac penitentia jam peracta prævia absolutione à censuris, & peccatis in forma solita dicat--*Et in super auctoritate Apostolica, mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento primi (seu secundi, seu primi, & secundi) gradus ex copula illicita à te habita cum sorore Mulieris, cum qua contrahere intendis proveniente, ut præfato impedimento non obstante Matrimonium cum dicta Muliere publicè servata forma Concilii Tridentini contrahere, consumare, ac in eo remanere licitè possis, & valeas. Insuper eadem auctoritate prolem, quam ex Matrimonio susceperis, legitimam fore, pronuncio, & declaro. In nomine Patris, &c.*

In Litteris Dispensationis super impedimento primi gradus ex copula illicita proveniente ad remanendum in jam contracto.

53. Prima clausula talis gratiæ est, ibi --*à quibusvis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit; idest absolvat ab excommunicationis sententia, quam incurrit incestuosi, qui in gradibus prohibitis Matrimonium contrahunt, juxta dispositionem Clem. unica de consanguin. & affinit.*

54. Secunda clausula ex qua difficilis oritur quæstio, est in illis verbis, ibi--*ut dicta Muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur.* Plures modi afferuntur à DD. certiorandi partem insciam, de quibus videre est apud Sanch. de Matrim. lib. 2. disput. 36. Verùm quia in praxi valdè periculosa res est, Confessarius Divino implorato auxilio, & examinationis genio, moribus, & affectibus personarum, adhibeat modum, quem viderit magis expedire pro executione.

55. Sanch. de Matrim. lib. 2. disp. 39. concl. ult. ad pacandas Confessorum executorum, & Pœnitentium dispensando-

rum mentes, & conscientias, præsertim si inscia esset Mulier, insinuat sequentem modum, videlicet. Si in certioratione nullitatis consensus facienda parti non consciæ adesset probabilis scandali, infamię, aut gravium molestiarum timor, nec ullo modo extorqueri posset consensus absque periculo, quòd pars ignorans impedimentum detrectet, & suspicetur de Matrimonii nullitate, & inde oriantur dissensiones, & alia inconvenientia perniciofa, tunc etiam absque verbis poterit denuò Matrimonium illud consistere, habita copula affectu maritali ex parte partis consciæ impediti; nam ex parte alterius cum putet Matrimonium esse, constat eo affectu haberi, etiamsi alter ignoret prius Matrimonium fuisse invalidum.

56. Hæc Sanch. opinio ratione periculi magni potest sustineri, cum aliàs parum probabilis existat; sicuti ratione magnæ necessitatis Baptismus in extremitate digiti confertur, quando partus periclitans illum extrahit: Undè Dian. par. 4. tit. 4. resolut. 49. in hoc proposito, ait -- *sed quando timetur scandalum, aut grave damnum, neque ex aliquibus verbis generalibus conjugis potest à Marito consensus extorqueri, tunc sufficit copula procedens ex affectu maritali, & in hoc casu puto sine ullo scrupulo sequi posse secundum opinionem.*

57. Et cum in dubiis præferenda sit sententia animabus favens, videtur hanc opinionem in praxi sequi posse, præsertim cum hæc clausula de certioratione partis insciæ non ponatur, ut conditio necessaria, sed ad instructionem Confessarii, ex Sanch. de Matrim. lib. 8. disput. 14. n. 61. Aliàs hæc dispensationes suo valore frustrarentur, quia sæpè contingit non posse nullitatem detegi, absque periculo detegendi delictum.

58. Tertia clausula est in his verbis -- *Matrimonium inter se denuò secretè ad evitanda scandala præmissis non obstantibus contrahere: idest prævia revocatione consensus aliquo modo opportuniori à Confessario insinuato, absque Parocho & absque Testibus contrahere: monendus igitur est pœnitens, ne prius consentiat in copulam, quàm contrahat Matrimonium*

nium renovato consensu, modo ut supra jam dictum est.

59. Deinde Confessarius post solitam absolutionem proferat formam dispensationis tali modo -- *Et insuper auctoritate Apostolica, mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento primi affinitatis gradus ex copula illicita, quam cum Sorore tua putatae conjugis antea habuisti, ut illo non obstante, renovato consensu cum praefata conjugē, Matrimonium cum illa contrahere, consummare, & in eo remanere licite valeas, & possis. In nomine Patris &c. Et pariter eadem auctoritate Apostolica, prolem, si quam suscepisti, & susceperis, legitimam fore decerno, & declaro. In nomine Patris &c.*

*In litteris Dispensationis super incestu non expresso in Litteris Datariae pro contrahendo Matrimonio.*

60. Contingit aliquando, quod in litteris expeditis à Dataria super impedimento dirimente publico, tacitum fuit impedimentum occultum, sicque eadem litterae per subreptionem, sive per obreptionem extortae redduntur nullae, & ideo fit recursus ad Pœnitentiarium, in cuius gratia executione sequentes clausulae notandae erunt.

61. Prima, ibi -- *quod faciant elemosynam arbitrio tuo.* Hæc elemosyna in pœnitentiam imponenda, erit à Confessario discretè taxanda; & si latores sint pauperes, adhuc venit injungenda, & sufficeret si unius oboli tantum injungeretur.

62. Secunda in illis verbis -- *postquam super praefato impedimento tertii gradus alias legitimè dispensatum fuerit: ideoque executio hujus gratia non est danda à Confessario, nisi postquam fuerint executioni demandatae Litterae Dispensationis Datariae super publico impedimento, quæ tunc dici poterunt executæ, quando Ordinarius licentiam ad effectum Matrimonium contrahendi concefferit.*

63. His recognitis post consuetam absolutionem à Censuris, & peccatis, proferat Confessarius formam dispensationis hoc modo -- *Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento ex incestuosa copu-*

*la, quam cum tua consanguinea (seu affine) habuisti proveniente, ut praefato impedimento non obstante, Matrimonium cum illa ad formam litterarum dispensationis, quam à Sede Apostolica obtinuisti, contrahere licite possis, & valeas. In nomine Patris &c.*

*In Litteris Dispensationis de jam Matrimonio contracto super impedimento reticito Datariae.*

64. Præter notata in præcedenti Formula litterarum, hic Confessarius curare debet, quod latores renovent consensum, & interim abstineant à copula, in qua renovatione non erit difficultas, sicuti quando una pars est conscia, & altera ignara; nam hic ambo sunt rei, & sic de facili induci poterunt ad denuò consensum præstandum secretè inter se sine Testibus, & sine Parocho, sublato tamen prius per dispensationem impedimento, & si commodè, absque periculo eorum delictum detegendi occasio detur, coram Confessario hujusmodi consensum renovare valebunt.

65. Post autem renovationem consensu, & consuetam absolutionem à peccatis, Formula dispensationis erit sequens -- *Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento ex incestuosa cognitione, & copula, in Litteris Dispensationis, cujus vigore contraxisti, non expressa, proveniente, ut eo non obstante, denuò Matrimonium cum N. contrahere renovato consensu, & consummare, ac in eo remanere licite possis, & valeas. In nomine Patris &c. Et pariter eadem auctoritate prolem, si qua suscepisti, & susceperis, legitimam decerno, & declaro. In nomine &c.*

*In Litteris Dispensationis pro Consanguineis, qui ignorantibus gradum prohibitum contraxerunt.*

66. Hic solum notandum occurrit, quod tam Confessarius, quam Parochi, & Ordinarii locorum advertere debent, quod quando Matrimonium jam reperitur contractum, & per aliquem, seu aliquos denunciatur impedimentum, quod occultum remansit, non sint faciles ad illud publicandum per publicam separationem conjugum, sed silentio imposito denun-

denunciatis, & facta secreta separatione, si sint in mala fide, (si verò in bona, sinant illos in ea remanere) & interim scribant Romam majori Pœnitentiaro modo, quo inferius notabitur, qui mittet facultatem oportunam gratis, & remedium dabitur absque ullo scandalo: & quando utraque pars est conscia impedimenti, utrique separatim præmissa Sacramentali Confessione est danda dispensatio.

67 His peractis post consuetam absolutionem à Censuris, & peccatis, Formula absolutionis erit sequens -- *Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento tertii gradus affinitatis, ut illo non obstante, cum tua putata conjuge (respectu Viri) (et si est Mulier, cum tuo putato conjuge) prævia renouatione prioris consensus Matrimonium secreto inter te, & ipsam contrahere, & consummare, ac debitum conjugale exigere, & reddere, & in eo remanere licite valeas. In nomine Patris &c. Et pariter eadem auctoritate prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam legitimam esse fore decerno, & declaro. In nomine Patris &c.*

*In Litteris Dispensationis pro iis, qui matrimonium contrahere desiderant cum impedimento criminis occulto.*

68 Præter jam notata in præcedentibus litteris, unica clausula hic notanda erit, quæ est in illis verbis -- *periculum imminet scandalorum, vel perseverantiæ in peccato*, per quam insinuat Confessario, quod una ex istis causis disjunctivè est sufficiens ad dispensationem concedendam.

69 Forma autem dispensationis post absolutionem à censuris, & peccatis erit sequens -- *Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento criminis ex adulterio, & fide data proveniente, ut illo non obstante cum Muliere correa Matrimonium publicè, servata forma Concil. Trident. contrahere, & consummare, debitumque conjugale exigere, & reddere licite possis, & valeas. In nomine Patris &c. Pariter eadem auctoritate prolem susceptam (non tamen in*

*adulterio conceptam) & suscipiendam legitimam nuncio, & declaro. In nomine Patris &c.*

70 Si verò Matrimonium jam reperiat contractum, notandæ erunt clausulæ in præcedentibus litteris jam notatæ; forma autem dispensationis erit sequens -- *Et insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento criminis ex adulterio, & fide data proveniente, ut illo non obstante Matrimonium cum tua putata conjuge, renovato consensu, denud contrahere, consummare, & debitum conjugale exigere, & reddere, ac in eo remanere valeas, & possis. In nomine Patris &c. Pariter eadem auctoritate prolem, si quam susceperis (non tamen ex adulterio conceptam) & quam suscepturus es, legitimam esse, & fore decerno. In nomine Patris &c.*

71 Aliæ Litteræ, quæ expediuntur ab eodem Tribunali super impedimento criminis, non differunt, nisi in pœnitentiis, quæ sunt à Confessario executore moderandæ, & augendæ considerata gravitate criminis.

72 Litteræ item, quæ dantur super dispensatione impedimenti occulti affinitatis, supervenientis post contractum Matrimonium ad effectum petendi debitum conjugale (super quo possunt etiam Ordinarii locorum dispensare) observandæ sunt, prout jam fuit in aliis animadvertum.

73. Forma verò dispensationis post absolutionem à censuris, & peccatis erit sequens -- *Et insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, dispenso tecum, ut non obstante affinitate, quam contraxisti cum tua Uxore ex illicita copula à te habita cum ejus Sorore, debitum conjugale à tua Uxore, etiam exigere licite possis, & valeas. In nomine Patris &c. Et pariter eadem auctoritate declaro non obstante præfata affinitate superveniente te in Matrimonio cum tua Uxore remanere, illique debitum conjugale reddere posse, & debere. In nomine Patris &c.*

*In Litteris pro eo, qui manus violentas in Clericam iniecit in casibus occultis.*

74 Prima clausula advertenda est in illis verbis -- *Cum autem lator de præmissis, quæ*

quæ occulta sunt, seu quæ ad forum Ordinarii minimè devenerunt, plurimum doleat: quæ verificanda est, aliter commissio, & gratia esset nulla, & idè Confessarius debet examinare pœnitentem, an delictum sit occultum, seu non deductum ad forum contentiosum; quia casus publici committuntur Ordinariis locorum, non autem Confessariis.

75 Secunda est sequens -- postquam præfatio Clerico, seu Sacerdoti, seu illorum hæredibus, si nondum satisfecit, satisfecerit, vel per latorem non steterit, quo minus arbitrio Confessarii satisfaciatur competenter, caute tamen ne se prodatur: circa quam Confessarius cum cautela, prudentia, & discretione procedat, ne Pœnitentis delictum detegatur: Undè debet considerare damnum illarum parti læsæ, & procurare, ut Pœnitens illud secretè resarciat. Quod si tunc Pœnitens ob causas rationabiles non posset satisfacere, debet Confessarius saltem ab eo exigere juramentum de satisfaciendo, cum primum potuerit, & eum absolvi protestando, quod in excommunicationem reincident, si satisfacere contemnat.

76. Tertia est in his verbis -- Ita quod si præmissa ad forum Ordinarii devenire contigerit, & lator sententiæ, seu ordinationi Ordinarii parere contempserit, in dictam excommunicationem eo ipso relabatur: Circa cujus clausulæ intelligentiam, & executionem advertendum est, quod si delictum fieret publicum, tunc Pœnitens erit relapsus, quando mandata Ordinarii, quæ spernit, sint rationabilia, non verò impossibilia, & quæ præstare possit, si enim irrationabilia exigeret, in excommunicationem non reincident, de quo monendus erit Pœnitens, ut se instructum reddere valeat.

77 Si verò Pœnitens esset Præsbyterica, Confessarius debet ab eo exigere juramentum, quod si delictum detegatur faciet publicam pœnitentiam hujusmodi delinquentibus imponi solitam.

In Litteris pro eo, qui Clericum percussit, aut occidit, & neque ad Urbem accedere, neque suum Episcopum tu id adire potest.

78 In executione Confessarius advertat ad veritatem causæ non accedendi ad Urbem, gravitatem, & diversitatem delicti: moneat, ut quamprimum poterit accedat sub pena relabendi in excommunicationem. Secundò, si delictum in loco, in quo pœnitens commoratur, est notorium, non habeat se publicè pro absoluto, sed se gerat in publico, ut antea pro excommunicatione, hancque absolutionem ei tantum in foro conscientie suffragari: & litteras Sac. Pœnitentiariæ lacerentur sub pena excommunicationis ab ipso Confessario incurrendæ, quatenus eas non laceret.

79 Forma autem absolutionis erit sequens -- Dominus Noster Jesus Christus te absolvat, & Ego auctoritate ipsius, & auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata absolvo te in primis ab excommunicationis sententia, quam incurristi ob manus violentas injectas in Clericum N. & ab omni alio vinculo excommunicationis, & interdicti in quantum possum, & tu indiges. In nomine Patris &c.

In Litteris Dispensationis ab irregularitate ob Homicidium occultum.

80 Sac. Pœnitentiaria absolvit à Censuris in casibus publicis, sed non dispensat in irregularitate, nisi in occultis: ideoque Confessarius debet recurrere ad verificationem Clausularum jam supra explicatarum, & præcipuè ad illas generales -- si ita est -- injuncta gravi, diuturna, & salutari pœnitentia.

81. Et secundo loco advertat ad clausulam ibi -- Nec non hæredibus occisi in eo, in quo de jure tenetur, satisfaciatur, caute tamen ne se prodatur; quia satisfactio præstanda est hæredibus juxta modum jacture, quam passi sunt ex morte occisi, v. g. si occisus erat Pater familias, & sua industria filios sustentabat, tenetur pœnitens (si potest omnia filiis præstare, facta computatione vitæ occisi juxta illius ætatem: modus autem præstandi hanc satisfactionem relinquatur prudentiæ Confessarii, ne reus se prodatur. Si autem pœnitens sit impotens, tunc poterit

terit promittere se satisfacturum, si ad pinguiorem fortunam perveniet, quia ad impossibile nemo tenetur: sicuti cum eo esset mitius agendum, si aliàs confessus satisfactionem hæredibus præstasset, & penitentiam gravem accepisset.

82. Tertiò notet clausulam, *ibi--quod remaneat inhabilis ad Beneficia Ecclesiastica in futurum obtinenda*: per quam datur intelligi, quod si penitens jam antè homicidium perpetratum obtinuerit aliquod Beneficium, eo à S. Penitentiaria non privatur, sed si aliud obtineret à die irregularitatis contractæ, collatio nulla esset, & sic fructus restituere, & Beneficium dimittere teneretur, de quo illum moneat Confessarius.

83. Quarto, notanda est alia clausula *ibi--& lator absque scandalo, vel periculose detegendi reum delicti commissi à promotione ad Ordines astinere nequeat*: pro qua adimplenda debet Confessarius strictè, & diligenter examinare latorem unde evenire possit scandalum, vel periculum se detegendi reum, ut exposita verificentur; nam tam hæc clausula, quàm alia, quod delictum sit occultum, important conditionem sine qua non concederetur gratia, & includuntur in alia--*si ita est*.

84. Quarto, advertenda est clausula in his verbis posita--*cum eodem Latore, suffragantibus sibi dignis penitentis fructibus, & meritis*: quia Confessarius debet bene examinare spiritum contritum penitentis, & merita illius: Nam si lator adhuc esset malè inclinatus, malæ indolis, & conditionis, ut ex illius promotione ad Ordines non possit probabiliter sperari, nec Ecclesiæ utilitas, nec ejus spiritualis progressus, tunc potius ei suadere deberet, ut amplectatur alium statum in quo securiùs salutem suam operetur: ne aliter faciendo penitens sibi, & Confessario æternam gehennam pareret.

85. Quintò, alia clausula observanda est *ibi--alioque ei Canonico non obstante*: idest *impedimento*. Si enim penitens alio canonico impedimento reperiatur irretitus, per quod inhabilis esset ad Ordines suscipiendos, non dispensatur, sed iterum super eo ab eadem Penitentiaria dispensationem obtinere deberet.

Monacelli Form. Pars I.

86. Sextò, alia clausula notanda est *ibi--quatenus ad id idoneus reperiatur*. Non enim intelligit S. Penitentiaria, quod per hanc clausulam debeat Confessarius examinare penitentem super doctrina, & capacitate, quia ad ipsum non pertinet; sed per illam vult innuere, quod latorem non eximit ab onere examinis, quod subiturus est apud suum Ordinarium.

87. His præcognitis, deveniendo ad absolutionem, & dispensationem dicat--*Misereatur tui &c. Indulgentiam &c. Dominus Noster Jesus Christus te absolvat, & Ego auctoritate ipsius, & auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata absolvo te in primis à quibusvis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quibus propter ea, quæ confessus es, quomodolibet innodatus existis, & pariter eadem auctoritate absolvo te à peccatis tuis. In nomine Patris &c.*

*Et pariter eadem auctoritate Apostolica tecum dispenso super irregularitate, quam ex homicidio contraxisti, ut illa non obstante Clericali charactere insigniri, ac Ordines etiam Sacros, & Presbyteratus suscipere, & postquam susceperis, in illis etiam in Altaris ministerio ministrare licitè possis, & valeas. In nomine Patris, &c. Passio &c. Si dispensandus esset Sacerdos--ut illa non obstante in Sacris Ordinibus etiam in Altaris ministerio ministrare licitè possis, & valeas &c.*

*In Litteris dispensationis ab irregularitate proveniente ex defectu occulto natalium.*

88. Defectus natalium dummodo sit occultus dispensatur à S. Penitentiaria, si aliqua rationabilis causa assignetur: Undè Confessarius in executione Litterarum examinare, & investigare debet, an defectus sit occultus, & an causa adducta pro obtinenda gratia, sit vera; & his verificatis, latorem dispensare in actu Sacramentalis Confessionis, aliàs dispensatio ei non suffragaretur: deindè ponderatis aliis clausulis, quæ in præcedentibus litteris jam notatæ fuerunt, præmissa consueta absolutione à Censuris, & peccatis, pro forma dispensationis dicat.

S 89. J

89. *Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata tecum dispenso super defectu Natalium, & irregularitate inde proveniente, ut præfato defectu, & irregularitate non obstante, Clericali charactere insigniri, & ad omnes etiam sacros, & Presbyteratus Ordines promoveri, & promotus in eis ministrare licite possis, & valeas. In nomine Patris &c.*

*In Litteris rehabilitationis pro Sacerdote Simonico.*

90. Prima notabilis clausula est in his verbis -- *Et lator præfatum Beneficium simoniacè obtentum cum effectu dimiserit: quæ debet omninò verificari, præsertim quando simonia fuit realis, & scienter contracta; ideoque debet Confessarius pœnitentem examinare, an verè, & cum effectu dimiserit, nec aliter ei rehabilitationem impertiatur, aut litteras exequatur.*

91. Secunda est in illis verbis -- *quodque culpabiles in præfata simonia labe quantum potest moneat ad impetrandam à Sede Apostolica absolutionem; & sic Confessarius præter asperam pœnitentiam, iungat latori, quod moneat, & quantum potest inducat complices ejusdem delicti simonia ad recurrentum pro obtinenda absolutione.*

92. Tertia est ibi -- *quodque fructus malè perceptos prout de jure restituat: ex qua clausula inferitur, quod executor debet imponere, ut restitutio fiat in pauperum subventionem, vel Ecclesiæ (præsertim si indigeat) in qua Beneficium situm erat, utilitatem.*

93. His prænotatis, forma absolutionis, & dispensationis erit sequens -- *Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & Ego auctoritate ipsius, & auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, absolvo te in primis à quibusvis sententiis, Censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter simoniam incurristi, & eadem auctoritate absolvo te à peccatis tuis. In nomine Patris &c.*

*Et insuper eadem auctoritate Apostolica tecum dispenso in irregularitate, quam ex simonia, & ex violatione postea contraxisti, ut illa non obstante in tuis Ordinibus etiam in Altaris ministerio ministrare, ac Benefi-*

*cia, si quæ tibi aliàs canonicè conferantur, non tamen Beneficium, quod simoniacè obtinisti, & dimissisti, recipere, & retinere licite possis, & valeas: In nomine Patris &c.*

*In Litteris rehabilitationis ad Beneficia obtinenda.*

94. Accidit aliquando, ut Sacerdos propter irregularitatem ex delicto gravi incursum fuerit dispensatus cum clausula -- *ut ad quæcumque Beneficia Ecclesiastica in futuro obtinenda perpetuò remaneat inhabilis: Undè solet Pœnitentia pœnitentem, qui per aliquot temporis spatium talem inhabilitatem sustinuit, rehabilitare, ex aliqua rationabili causa, & aliquo pœnitentis merito, & illius emendatione, vel ad omnia, vel ad simplicia, & absque Cura tantum.*

95. Debet igitur in executione litterarum advertere, an motivum gratiæ verificetur, & an lator ita moribus sit emendatus, ut evaserit capax, & dignus: quibus consideratis, post absolutionem à censuris, & peccatis in forma solita, proferat formam dispensationis modo sequenti.

96. *Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata tecum dispenso, ut non obstante inhabilitate ad Beneficia Ecclesiastica qua detineris, quæcumque Beneficia Ecclesiastica, tam cum Cura, vel sine Cura, quatenus tibi aliàs canonicè conferantur, recipere, & retinere, fructusque eorum percipere licite possis, & valeas. In nomine Patris, &c.*

*In Litteris condonationis fructuum Beneficiorum malè perceptorum.*

97. Advertere debet hic Confessarius, quod Pœnitentia Sacerdotibus, sive Clericis pauperibus fructus malè perceptos condonat mediante aliqua elemosyna. Divitibus autem non sic, sed hos admittit per compositionem, si obligatio restituendi sit occulta, nam in publicis est recurrentum ad Datariam.

98. Ideoque sub clausula contenta his verbis -- *ob suam paupertatem restituere nequeat: caveat an motivum paupertatis sit verum, nam periculum est, ne nimis sibi parcat lator, & prætenfa paupertas non sit tanta, quanta esse debet: undè si tantum de vigesima parte posset componere,*

nere, melius esset per viam compositionis venire, quam condonationis.

99. Item observanda est clausula ibi -- *suffragentur ei digni fructu pœnitentiæ, & merita*: & sic Confessarius examinet, an lator per bonos mores vitam emendaverit, & horas Canonicas à tempore considerabili juxtà suam obligationem recitaverit; nam si à paucis tempore recitare coepisset, differatur executio gratiæ donec argui possit emendatio.

100. Vigore tandem clausulæ ibi -- *mediante aliqua elemosyna arbitrio tuo taxanda*, debet Confessarius, quando pœnitens est verè paupere, discretè se gerere, & si elemosyna non potest esse pecuniaria, sit saltem hospitalitatis, potus, & subventionis pauperibus, vel linteaminum, ceræ, olei, aut alicujus suppellectilis, pro Ecclesia, & Altaribus.

101. His consideratis, post absolutionem à censuris, & peccatis, forma condonationis hæc erit -- *Et insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, fructus, quos ex tuo Beneficio malè percepisti ob non recitatas horas Canonicas, mediante elemosyna tibi imposta, gratiosè tibi remitto, & condono. In nomine Patris, &c.*

102. Quando autem fructus Beneficii fuerunt malè percepti, & injustè, ob aliam causam, v.g. ob nullitatem tituli Beneficii, aut per intrusionem, tunc forma condonationis erit mutanda secundum litterarum tenorem, & expositionem.

103. Monitum tandem Confessarium volo, quod quando vigore litterarum Pœnitentiariæ datur absolutio ab excommunicatione in casu publico per subdelegationem factam ab Episcopo, tunc forma absolutionis, recitatis solitis precibus, & orationibus præscriptis à Rituali, erit sequens -- *Et ego auctoritate mihi commissa absolvo te à vinculo excommunicationis majoris, quam incurristi ob ..... & restituo te unitati Sanctæ Matris Ecclesiæ, Sanctis Sacramentis, & communioni fidelium. In nomine Patris, &c.*

104. Qua absolutione secuta poterit, & debet Confessarius fidem scripto facere de data absolutione, & illam mittere ad ipsum Ordinarium juxtà formulam à me traditam in *tit. 4. Formula XVIII.*

105. Ut autem Confessarii, & Parochi calleant practicam, negocia, & causas agendi in casibus occurrentibus Pœnitentiæ, qui indigent Tribunali Pœnitentiariæ, & sæpè ignorantes remedium in suis sordibus perseverare coguntur; non incongruum putavi hic subnectere Instructionem sequentem.

106. Primò itaque ubi accedit aliquis, casu quoquam ad dict. Tribunal pertinente laborans, examinet diligenter Pœnitentem, ut rem totam sincerè aperiat: observent genus Censuræ: scrutentur facti circumstantiam. Item inquirent de pœnitente, an sit Vir, aut femina, an laicus, aut Clericus, an Regularis, aut sæcularis, an Sacerdos vel in Ordine Sacro, aut simplex Clericus, aut Monialis. Inquirent circa casum, ex quo Censura incurfa est, an publicus, vel occultus (nam publica, vel ad publicum redacta non pertinent ad Pœnitentiariam, nisi percussio Clerici:) & circa irregularitatem videant, an ex delicto, & quali delicto, an ex defectu, & quali defectu cum suis circumstantiis: an ex homicidio, aut mutilatione, an ex violatione Censuræ. In Matrimoniis inquirent quale sit impedimentum, an re vera occultum, an de contracto Matrimonio, vel de contrahendo agatur: item quid causæ allegetur pro dispensatione obtinenda, & idem fiat pro votis, scilicet quid causæ, pro commutatione, & ad quem effectum: sed præsertim de Clerici percussore disquiratur cur ad Urbem pro absolutione accedere non valeat.

107. Secundò, habita verà totius causæ notitia, scribant casum in carta quocunque caractere dummodò legi possit, idque sive latina, sive qualibet alia cujuslibet Regionis nativa lingua, ommissis inutilibus, reticito etiam nomine, & cognomine Pœnitentis (quamvis, nullum si periculum rem, & personam prodendi) nisi fortè ageretur de Censuris inflictis contra publicos Clericorum percussores, & duellantes in publicum, tunc enim nomen, cognomen, & Diocesim expriment. In occultis verò per simplex NN. proceditur, & casum sic inscriptum directè mittitur per communem Tabellarium publicum Romam majori Pœni-

tentiariorum in hunc modum--*Eminentissimo, & Reverendissimo D. Cardinali majori Pœnitentiario Romæ*: qui certè pro sua humanitate, & charitate libenter audiet, & jubebit litteras expediri, & rescribendo mitti curabit.

108. Tertiò, in litteris Romæ ad majorem Pœnitentiariorum ut supra mittendis, significant quomodo, qua via, & cui responsum mittendum sit per Postam, seu Tabellarium, terminando litteras in hunc ferè modum--*Dignetur Eminentia Vestra rescribere N. N. in Civitate N. pro Oppido N.*

109. Quartò, si in illo Oppido, seu Civitate in qua mittendæ sunt litteræ Sac. Pœnitentiariæ, non essent Confessores Doctores in jure Canonico, vel Magistri in Sac. Theologia, vel si adsit, Pœnitentes non possint de facili induci e'is aperire suam conscientiam, cum jam aperuerint alicui Confessario non graduato, hoc ipsum in litteris mittendis ipsi majori Pœnitentiario significetur: sicuti si Confessarius gotticum characterem legere nesciat. Quod si fortè aliquando tardaverit responsum, tunc poterant Confessarii, seu Pœnitentes, iterum scribere, ut si fortè fuit deperdita prima Epistola, altera ad manus Eminentissimi Pœnitentiariorum perveniat, quia certè de opportuno remedio providebitur.

110. Quintò, casum occurrentem sic, vel simili modo proponet--*Eminentissime, & Reverendissime Domine. N. Sacerdos contraxit irregularitatem ex homicidio occulto, ab eo ob talem, & talem causam clam tali modo patrato, vel procurator in personam hominis laici. Ab eo tempore non abstinuit ab exercitio ordinum, vitandi scandali causa, vel ne se proderet; sive abstinuit, sed cum diu absque scandalo abstinere non possit, humiliter supplicat pro remedio.*

*Vel NN. Contraxit Matrimonium cum Muliere, cujus matrem antea carnaliter cognoverat, conscius, (vel nescius) impedi- menti (quod occultum est) quare cum absque scandalo separari non possint, supplicat pro remedio.*

*Vel NN. Mulier emisit votum simplex castitatis perpetuæ, sed cum adsit, vel futurum esse prævideat periculum incontinentiæ nisi*

*nubat, humiliter supplicat sibi votum commutari ad effectum nubendi.*

At cum innumeri sint casus pro quibus supplicari debet, innumera quoque sunt supplicationum exemplaria.

111. Quando autem quis non vigore litterarum Pœnitentiariæ, sed via ordinaria esset absolvendus ab interdicto; tunc præmisso juramento de parendo mandatis Ecclesiæ, & si est interdictus, quia non est confessus in Paschate, præstita cautione juratoria de confitendo, & communicando in termino dierum tot assignandorum, Confessarius dicat--*Misereatur tui, &c. Indulgentiam, &c. D. N. Jesus Christus te absolvat, & Ego auctoritate qua fungor, relaxo interdictum Ecclesiasticum, quod incurristi (si est à jure) & si est ab homine, quod contra te pronunciatum fuit ob tale crimen, & restituo te Ecclesiæ ingressui, Ecclesiasticæ Sepulturæ, & Sanctis Sacramentis absolutum, vel restituo te ordinibus tuis, officio &c. (si est Clericus) In nomine, &c.*

Si interdictum esset publicum, absolutio deberet impendi ante fores Ecclesiæ, vel saltem populo notificando, quando quis est interdictus ab ingressu Ecclesiæ,

112. Si qui verò Clericus, vel Sacerdos, est absolvendus à suspensione, tunc dicto Misereatur &c. Indulgentiam, &c. Confessarius dicat--*D. N. Jesus Christus te absolvat, & Ego auctoritate, qua fungor absolvo te à vinculo suspensionis, quam incurristi (vel quæ contra te est pronunciatæ ob tale crimen) & restituo ingressui Ecclesiæ, officio, (vel Beneficio) & actibus tuorum ordinum absolutum. In nomine Patris, &c.*

113. Advertant Episcopi, & Vicarii Capitulares, quod vigore Jubilæi non possunt absolvere publicè denunciatos in foro exteriori pro læsa immunitate Ecclesiastica, sed tantum in foro conscientie, quando scandalum est notorium, ut respondit Sac. Congregat. Immunit. in Mediolanen. 27. Januarii 1632. lib. 2. fol. 113.

Alia facultatis Confessiones audiendi .

## F O R M U L A II

N. Episcopus N.

**T**ibi dilecto Nobis in Christo N. ut in hac Civitate N. Confessiones Sacramentales utriusque sexus Christifidelium audire , eosque absolvere ( non tamen à casibus , censurisque Sedi Apostolicæ , ac nobis reservatis , excepto mortis articulo ) possis , & valeas , tenore præsentium licentiam concedimus , & facultatem impartimur duraturam tantum ad sex menses .

Te in Domino admonentes ne dum alios à peccatorum nexibus liberare intendis , te ipsum implices , ut pro recta hujus Sacramenti administratione omnia , quæ in Decretis Apostolicis , ac Synodalibus Constitutionibus N. tradita sunt , sæpè legas , & observes . Ut mulierum Confessiones non nisi in Sede Confessionali in Ecclesia nec ante Solis ortum , neque post ejus occasum ( seclufis infirmitatis , aut necessitatis casibus ) audias . Si ad infirmos vocatus fueris , de eorum audita Confessione statim proprium eorum Parochum certior em facias verbo , vel scripto . Si quos pœnitentes deprehenderis à Confessariis diabolico instinctu ad turpia , seu inter confitendum , seu occasione Confessionis , seu in Sede Confessionali , sive ante , sive post Confessionem quoscunque sollicitatos , seu ad turpia colloquia allectos fuisse , eos serid admonedas de obligatione hujusmodi sollicitantes , ad Sanctæ Inquisitionis , seu nostrum Tribunal denunciandi juxta Bullam sancte Gregor. XV. aliàs denunciare reuuentibus absolutionem deneges sub pœna in eadem Bulla contenta . Ut à rudioribus requiras , an fidei articulos , Decalogi , Ecclesiæque præcepta noverint , doctrinam Christianam satagant ediscere . An conscientiæ examen fecerint , doloremque necessarium habeant de peccatis , eaque detestentur cum vero proposito in posterum illa vitandi . Utrùm lethalem aliquam culpam erubescant , vel alia de causa reticuerint , contritionis , aut saltem attritionis actum eos elicere adjuves . Si restitutio famæ , vel rerum ob furta , vel damna illata faciendâ sit , caveas ne detrectantibus , vel negligentibus restituere , si possint , absolutionem impendas . Circumstantias peccatorum , quæ mutant speciem , vel pravitatem valdè augent , inquireas : iis qui nec peccata , nec proximas peccandi occasiones relinquere volunt , utpotè Concupinariis , Meretricibus , nec non odia , & inimicitias exercentibus , absolutionem omninò deneges . Pœnitentias salutares , ac convenientes satisfactiones , quas prudentia suggererit pro qualitate peccatorum , & pœnitentium facultate injungas . Sigillum confessionis inviolabile serves , ne irremissibiles pœnas à Sac. Canonibus inflictas subeas , & si quid difficillimum , vel arduum acciderit , in quo deliberando sis anceps , absolutionem differas , donec sapientes consulas . In quorum &c. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli .

N. Cancellarius Episcopalis .

Monacelli Form. Pars I.

S 3 AD-

## ADNOTATIO.

**H**AC formula utebatur clar. me. Cardinalis Barbadicus Episcopus Patavinus, Vir non minus Purpura, quam doctrina, & virtutibus Eminentissimus; ex qua Confessarii regulas generales pro recta hujus Sacramenti administratione excerpere possunt, à quibus non nisi in aliquo casu particulari, ( in quo regulam servandam non esse prudentia suggerat ) recedi non solet.

Deputationis Confessarii Ordinarii  
Monialium.

## FORMULA III.

## SUMMARIUM.

- 1 Parochi, & Regulares non deputantur in Confessarios ordinarios Monialium.
- 2 In casu penuriae Presbyterorum Sæcularium Regulares adhibentur de licentia Sac. Congregat. dummodo

- sint qualificati, & provecta ætatis.
- 3 Episcopi non possunt uti Regularibus quamvis adsit penuria Sacerdotum Confessariorum sæcularium sine licentia Sac. Congregationis, & n. 4.
  - 5 Moniales non possunt recusare Confessarium ab Episcopo deputatum.
  - 6 Confessarii Monialium non possunt ingredi clausuram ad peragendum officium funeris, & afferuntur rationes n. 7. 8. & 9. rejiciunturque contrarium tenentes.
  - 10 Confessarii debent audire Confessiones Monialium infirmarum Januis Cella apertis.
  - 11 Confessarii Monialium debent abstinere à frequentatione Collocutorii.
  - 12 Confessarii Monialium Ordinarii non debent accedere ad Ecclesiam, seu Monasterium tempore, quo adest Confessarius extraordinarius.
  - 13 Confessarius Monialium debet habere mercedem congruam sufficientem pro victu.
  - 14 Episcopus curare debet, ut merces Confessariorum Monialium sit congrua.

## N. Episcopus N.

**T**ibi N. Presbytero sæculari per Examinatores nostros idoneo reperto, & per Nos approbato, ut in Ecclesia, & Monasterio S. N. Confessiones Sacramentales Monialium audire, & sæcularium etiam Mulierum, si quæ in eodem Monasterio erunt, easque absolvere valeas, præterquam à casibus, & censuris Sedi Apostolicæ, & Nobis reservatis, licentiam, & facultatem concedimus, & impartimus; tibi que Confessario Ordinario à Nobis Deputato, omnes Moniales confiteri teneantur. In Clausuram Monasterii non ingredieris nisi superpelliceo, & stola indutus, ut tantummodo administres Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & extremæ Unctionis infirmis, quibus tantum casibus semper tuo hoc munere modestia, & exemplaritate perfungas sociatus à duabus ex senioribus Monialibus, quæ cum Confessiones infirmarum audies, Janua Cella aperta te etiam videre possint, non autem audire. Negotiis Monasterii aut Monialium quibuscunque non te immisceas, neque ad Crates, seu Rotas colloquaris nisi de his tantum, quæ Ecclesiæ cultum, & Divinorum Officiorum celebrationem respiciunt. Te in Domino admonentes, ut promovere cures, quæ ad Regulæ observantiam conducunt, pravos abusus si qui sint sarculo Evangelicæ doctrinæ evellere, & religiosam vitam fovere, & enutrire. Cum verò

verò Confessarius extraordinarius per nos mittetur, longè à Monasterio abscedas donec ille discesserit. Præsentibus cum solita mercede ad triennium valituris In quorum, &c. Datum, &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

1. **TIBI N. PRESBYTERO SÆCULARI.** Non tamen Parocho, neque Regulari, quia Episcopus istorum opera uti non potest, neque eos deputare Confessarios Ordinarios Monialium, Barbof. de jure Eccles. lib. 1. cap. 44. nu. 127. Tambur. de jur. Abbatis disp. 16. quæst. 2. nu. 4. Donat. prax. rer. regul. tom. 4. tract. 13. quæst. 28. n. 1. apud quos Decreta Sac. Congreg. referuntur.

2. In casu tamen penuriæ Sacerdotum sæcularium habiliū Sac. Congreg. licentiam indulget, dummodo Regulares deputandi sint qualificati, & exemplares, ac ætatis provectæ saltem 45. annorum, prout rescriptum fuit Patriarchæ Veneto 7. Junii 1620. ut refert Tambur. loco mox citato.

3. Non poterunt tamen Episcopi sine beneplacito ejusdem Sac. Congr. Regularibus uti, quamvis Presbyterorum sæcularium adsit penuria; cum enim Decreta id prohibentia emanaverint per viam legis universalis, obligant ad observantiam in utroque foro, ut probant Passerin. de stat. hom. tom. 2. quæst. 187. art. 1. n. 447. & seqq. Pignatelli. consult. 174. per tot. tom. 9.

4. Nec illos excusaret vulgatum adagium, quod necessitas non subjiciatur legi, quod illicitum est, faciat licitum: quia hoc posset suffragari in casu quo Sac. Congreg. non posset adiri, vel periculum esset in mora; tunc etenim inferior potest exercere jurisdictionem Superioris, ita tamen, ut cum poterit adeat, juxta consl. Ancheran. 409. nu. 7. non autem in hac subjecta materia de qua loquimur, in qua non ita festinus casu occurrit, ut nec locus, nec tempus patiat dilatationem, licentiam pe-

tendi à Sac. Congregatione: & penuria Sacerdotum sæcularium habiliū solūm operetur, quod concedatur dispensatio, quæ alià non concederetur, ut dicit Medic. tract. de cas. fortuit. quæst. 6. num. 23. ficque si aliquis Episcopus prohibitionem parvipenderet, acri reprehensione dignus videretur.

5. **OMNES MONIALES CONFITERI TENEANTUR.** Ex hac clausula oritur dubitatio, an scilicet Moniales possint recusare Confessarium ab Episcopo deputatum? & affirmativam tenet Donat. prax. rer. Regular. tom. 4. tract. 13. quæst. 20. quem tamen reprobatur, & merito Passerin. de stat. hom. tom. 2. quæst. 187. art. 1. num. 859. Qui admitti quidem, quod possint Moniales rationes non acceptandi proponere, & si justæ videantur debeat Superior illas acceptare; sed nequaquam recusare, quia huic termino non correspondet obligatio obediendi: Et ideo teneantur deputatum recipere, & tamquam proprio Parocho omnes confiteri. In hoc tamen, ut monet Author, debet Episcopus cautè agere, ut officium suum fideliter, & in utilitatem Omnium suarum, & non in destructionem dispenset.

6. **QUIBUS TANTVM CASIBVS.** Pro aliis enim casibus, in quibus exigatur presentia Confessarii, requireretur specialis facultas: Talis autem necessitas non adest in funeribus pro sepellendis Cadaveribus Monialium in Ecclesia, & Sepultura interiori, sed pro ista causa licentia deneganda est, Nicol. in flosc. verb. Sepultura num. 6.

7. Et quantumvis ingressum Confessarii in Clausuram ad Officium funeris peragendum Authores Regulares licitum faciant absque alia licentia in illis locis, &

Monasteriis, in quibus viget consuetudo, prout sunt Tambur. *de jur. Abbat. disp. 24. quest. 5.* Pellizar. *de Monial. cap. 10. num. 231.* Passer. *de stat. hom. tom. 2. quest. 187. art. 1. num. 889.* Nihilominus ab horum opinione cavendum: Quia si, ut ipsi asserunt, talis abusus alicubi introductus reperitur, est removendus, non autem tolerandus inconsulta Sacra Congregatione.

8. Etenim cum Sac. Congreg. Episcop. (quæ legem Clausuræ tuetur, & violari non patitur) suo Decreto generali edito de anno 1583. & de quo meminit Gavant. *Manual. Episcop. verb. Monialium Clausura num. 40.* & quod per extensum refert Pignatell. *consult. 85. num. 234. tom. 6.* declaraverit nullam in Officio funeris Monialium necessitatem adesse præsentia Confessarii; sequitur, quod Episcopi in hoc casu jam declarato Superiorem non necessario, non valeant licentiam concedere, multoque minus permittere, & tolerare, quod prætextu consuetudinis (quæ potiùs corruptela dicitur) in Clausuram Confessarius ingrediatur ad Officium funeris peragendum.

9. Unde Confessarii, si qui sint sæculares, sive Regulares, qui sententiam dd. Anthorum ad praxim reducunt, & sine licentia in scriptis ingrediuntur Clausuram, prætextu functionis funeris tamquam culpabiles, incurrunt excommunicationem inflictam violentibus Clausuram, ut bene firmant Pac. *Jord. tom. 2. lib. 7. tit. 12. n. 88. vers. Item neque prætextu, n. 173.* Nicol. *in fofc. verb. Sepultura n. 6.* ubi Decreta refert.

10. **JANUA CELLÆ APERTA.** Optimus Maximusque Pontifex Innoc. XI. per organum Sac. Congreg. Episcop. & Regular. omnibus Ordinariis locorum per Epistolam Encyclicam sub datum Romæ 12. Martii 1682. innovans Decretum generale aliàs emanatum 13. Septembris 1583. præcepit quod debeant injungere Confessariis Monialium, ut in audienda infirmæ confessione Janua Cellæ aperta remaneat, & ambæ Comitatrices Confessarium, & infirmam videant, non tamen quod possint audire.

11. **COLLOQUARIS.** Confessarii Monialium agrestes se præbere debent,

nec ullo modo negociis temporalibus immiscere proculque à Collocutoriis, & Cratibus abire, nisi aliqua necessitas, quæ ob bonum publicum totius Monasterii contrarium suadeat, urgeret.

12. **LONGE A MONASTERIO ABSCEDAS.** Tempore quo Confessarii Extraordinarii Monialium Confessiones audiunt, Confessarius Ordinarius ad Ecclesiam, & ad Monasterium accedere non debet, ut monent Tambur. *de jur. Abbat. disp. 16. quest. 19. num. 1. vers. Quando Confessarius*, Lantusch. *Theatr. Regul. verb. Moniales nu. 8.*

13. **CUM SOLITA MERCEDE.** Confessario Monialium debet constitui certa merces annua, quæ juxta morem Regionis victui illius sufficiat, ut mandat Decretum generale Sac. Congreg. emanatum 29. Novembris 1605. his verbis—*Constituatur certa merces annua Confessori Monialium, quæ juxta morem, & qualitatem Regionis victui illius sufficiat, eademque merces Monasterio, in quo degit, si Confessarius Regularis sit, persolvatur.* At hujus Decreti dispositio malè servatur: Quia exceptis magnis Civitatibus, ferè ubique, merces Confessariorum est tam tenuis, & exigua, ut non solum victui, sed neque vestitui tantum sufficiat.

14. Et hinc evenit, quod Confessarii habiles, & idonei non reperiantur; Moniales sub directione Confessariorum parum aptorum (qui peccata comedunt, & latrare non valentes, canes muti sunt) mirum in modum paulatim relaxantur. Proptereaque Episcopi curare debent quantum possibile erit, ut dictum Decretum servetur, & potiùs quæcumque alia expensa refecetur, & tollatur, quàm hæc diminuatur: Quid enim prodest homini, si universum Mundum lucretur, Animæ verò suæ detrimentum patiat; aut quam dabit homo commutationem pro Anima sua? *Matth. 16.*

Deputationis Confessarii Monialium  
Extraordinarii.

## FORMULA IV.

## SUMMARIUM.

- 1 Regulares non deputantur Confessarii extraordinarii, nisi in casu necessitatis.
- 2 Episcopus deputat Confessarium Extraordinarium etiam Monialibus ex-

emptis, concurrente aliqua justa causa.

- 3 Episcopus ex obligatione tenetur non tantum dare petentibus, sed offerre Confessarium Extraordinarium.
- 4 Moniales non tenentur confiteri Confessario Extraordinario, sed debent saltem eidem presentari, & de ratione, & n. 5.
- 6 Confessarius Extraordinarius datur Monialibus in communi, non pro aliquibus tantum, nisi aliqua specialis ratio concurrat.

N. Episcopus N.

**D**ilecto N. Presbytero seculari, Confessario in hac nostra Dicecesi approbato, cujus vitam, doctrinam, & morum probitatem jam pridem experti sumus, Sac. Concil. Trid. Decreto, quo astringimur Confessarium idoneum Extraordinarium quotannis Monialibus Nobis subjectis offerre, inhærentes, Tibi, ut tamquam talis Sanctimonialium Monasterii N. hujus Civitatis Sacramentales confessiones excipere, & à peccatis absolvere possis, & eadem penitentiae medicina indigentes, liberius malis suis mederi valeant, etiam cum facultate ab omnibus casibus, & Censuris Nobis reservatis absolvendi, licentiam concedimus, & facultatem opportunam impartimur, per dies ..... duraturam. In quorum &c. Datum, &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

## ADNOTATIONES.

1 **PRESBYTERO SÆCULARI.**  
Regulares deputari non debent pro Confessariis Monialium nec Ordinariis, nec Extraordinariis, ut respondit Sacra Congregat. Episcoporum 1. Octobris 1602. -- Ordinarii non possunt uti opera Confessariorum Regularium, etiam pro Confessariis Extraordinariis, nisi in casu necessitatis, & sine licentia Sac. Congregat. ut monendo Patriarcham Venetiarum scripsit eadem Sac. Congregat. 12. Maii 1617. At quia tales deputationes sunt frequentes, & in parvis Civitatibus non adest copia Sacerdotum sæcularium habilium, Episcopi sæpè illos deputant

pro Extraordinariis, quia dicunt adesse necessitatem, & eis favet Pelizar. de Monialib. cap. 10. n. 171.

2. **NOBIS SUBJECTIS OFFERRE.**  
Non solum Monialibus subiectis, sed aliquando etiam aliis, quæ Regularibus subdantur, supplendo Superiorum negligentiam, Episcopus Confessarium Extraordinarium concedit, aliqua justa causa concurrente, ut tradit Bellet. disq. Cleric. par. 2. §. 5. de pœn. Cleric. num. 9. & decisum refert à Sac. Cong. Concilii, Barbosa. in Sum. decis. Apostol. collect. 506. n. 32. & non solum ejusdem, sed alterius Ordinis, immò & Presbyterum Confessarium sæcularem, Gallemart. supra Concil. cap. 10. sess. 25. de Regular. n. 2.

3. Hunc

3. Hunc autem Confessarium extraordinarium Episcopus concedit non de consilio, sed ex obligatione, & præcepto, *Concil. sess. 25. cap. 10. de Regular.* & non solum petentibus Monialibus sibi subjectis, sed ex officio bis, terque in anno offerre tenetur, quia Concilium loquitur imperativè per verbum--*Offeratur*, & sic præcipit, ut observat Passerin. *de stat. hom. tom. 2. q. 187. art. 1. nu. 906.* ubi *n. 909.* tenet, quod, si Superior illum deneget, peccet contra legem Concilii, & fidelitatem sui officii.

4. **INDIGENTES.** Non tenentur Moniales confiteri, si nolunt Confessario extraordinario, quia est concessio eisdem favorabilis, & non debet in odium illarum retorqueri, Gallemart. *suprà dicto cap. 10. nu. 3.* Donat. *prax. rer. Regular. tom. 4. tract. 13. quest. 23.*

5. Convenit tamen, quod omnes se præsentent, si non ut confiteantur, saltem

ut monita salutis recipiant, & actum subjectionis exerceant; & etiam ad hoc, ut discerni non possit quænam sint, quæ indigeant Confessario extraordinario, ut notant, & monent Pelizar. *de Monial. c. 10. n. 271.* & Pasqualig. ad Lauret. de Franch. *par. 1. num. 39.* ubi allegat Decretum Sac. Cong. Episcoporum, & Regularium.

6. Verum quoque est, quod extraordinarius debet dari Monialibus in communi, non autem pro hac, vel illa Moniali, Pelizar. *de Monial. cap. 10. nu. 266.* Passerin. *de stat. hom. tom. 2. quest. 187. num. 291.* Pignatell. *consul. 85. num. 235. tom. 6.* ubi Decreta de more refert. Nisi tamen ex aliqua speciali ratione Episcopus moveatur ad illum dandum etiam Moniali particulari, puta in articulo mortis pro serenitate moribundæ, ut admittit Passerin. *loc. cit. & Donat. prax. rer. Regular. tom. 4. tract. 13. quest. 29.*

### Deputationis Confessarii Regularis pro Monialibus.

#### F O R M U L A V.

#### S U M M A R I U M.

- 1 Confessarii Monialium, eorumque socii non possunt alloqui Moniales.
- 2 Confessarii Monialium non ingrediuntur clausuram ad administranda Sacramenta sine Socio, qui debet esse ætatis 50. annorum.

### N. Episcopus N.

*Admodum Rev. P. N. Ord. N. salutem, & benedictionem in Domino.*

**U**T Virgines Deo dicatæ, ac rerum cœlestium contemplationi intentæ tuto incessu ad Christianam perfectionem, experto Duce ducente, scilicet perveniant, ad Te examinatum, & approbatum, & in cuius vitæ, ac morum probitate, ætate, prudentia, ac scientia plurimum in Domino confidimus, aciem nostræ mentis direximus. Quapropter, ut Monialium Monasterii N. confessiones audire, easque Sacramentaliter absolvere, & alia Sacramenta conferre possis, necnon prædicti Monasterii Clausuram, cum Socio in casu necessitatis ea ministrandi Infirmis ingredi valeas, Te Confessarium Ordinarium dicti Monasterii vigore facultatis à Sac. Congreg. Episcoporum, & Regularium sub datum Romæ.... Nobis concessæ non tantum pro Monialibus, sed etiam pro mulieribus, si quæ in dicto Monasterio existant, eligimus, & deputamus, Te ad-

monen-

monentes, ut quæ in Decretis Apostolicis, & Constitutionibus Synodalibus præscripta sunt, fideliter serves. Cum Monialibus non alloquaris. Clausuram sine superpelliceo, Stola, & Socio, pro administrandis Sacramentis Infirmis tantum non ingrediaris, & tunc sociatus à duabus Monialibus, ex senioribus, quæ cum confessiones Infirmarum audies Janua Cellæ aperta Te videant. Refectionem corporalem in locis ubi à Monialibus videri possis non sumas. Præsentibus ad nostrum beneplacitum, & non ultra triennium duraturis. In quorum, &c. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

### ADNOTATIONES.

1. **NON ALLOQUARIS.** Confessarius Regularis Monialium, ejusque socius easdem alloqui prohibentur absque Sac. Congr. licentia, si refert de cetero Barbol. *suprà Concil. sess. 25. de Regular. cap. 10. n. 21. & in Summ. dec. Apostol. collect. 203. num. 13.* & adest expressum Decretum mox infra dandum.

2. **STOLA, ET SOCIO.** Sine Socio, qui debet esse provectæ etatis, Confessarius Regularis ingredi non potest Clausuram, juxta Decretum Sac. Congr. emanatum in Nolana 21. Februarii 1617. quod ex registro depromptum est sequentis tenoris -- *Petente Episcopo Nolano per Sac. Cong. declarari. Primo, num Confessarius Regularis Monialium, ejusque Socius, Confessionis ac Sacramentorum administrationibus casibus exceptis, easdem Moniales absque Sacræ Congregationis licentia alloqui valeant. Secundo, cum idem Confessarius ex antiqua consuetudine absque Socio Monasterii septa Monialium ægrotantium confessionum*

*audiendarum gratia ingredi debeat, an in posterum ita sit permittendum.*

*Illustrissimi ejusdem Sac. Congreg. PP. Ad primum; Negativè responderunt. Ad secundum; itidem negativè, sed debere eisdem assignari Socium, qui ipsi juxta Sac. Congregat. Decreta assistat, sitque ætatis ultra quinquaginta annorum: & in alia Veneta 7. Junii 1620. præscripsit ætatem suprâ 45. quoad Confessarium.*

Approbationis Confessarii pro Monialibus Regularibus subiectis.

### FORMULA VI.

#### SUMMARIUM.

- 1 Confessarii Regulares Monialium, si non observent conditiones ab Episcopo in approbatione præscriptas, possunt ab eodem puniri.
- 2 Confessarii Monialium Regularibus subiectarum debent ab Episcopo vel rejici, vel ad triennium approbari.

N. Episcopus N.

**T**ibi Rev. P. N. Ord. N. Nobis ab Admodum Rev. P. N. Provinciali N. pro Confessario Ordinario Monasterii Monialium N. Ordini subiecto presentato, & ab Examinatoribus nostris examinato, idoneoque reperto, & à Nobis approbato, licentiam, & facultatem, ut dictarum Monialium, & mulierum, si quæ sint, confessiones excipere, & eas sacramentaliter absolovere (non tamen à

casu-

casibus Nobis reservatis) & alia Sacramenta conferre, necnon in casibus necessariis pro illis administrandis Monialibus, & Mulieribus infirmis, Clausuram ingrediendi, concedimus, & impertimur *servatis infrascriptis conditionibus*.

1. Non colloquaris cum Monialibus (Confessionis, ac Sacramentorum casibus exceptis) neque ab eis corporalem refectionem sumas ad Crates, vel Rotas, ac in locis ubi videri, vel à Monialibus audiri possis.
2. Non ingrediaris Clausuram, nisi pro administratione Sacramenti Pœnitentiæ, Eucariistiæ, & Extremæ Unctionis decumbentibus infirmis in lecto.
3. Non ingrediaris in dictis casibus sine superpelliceo, Stola, & Socio provectæ ætatis saltem 50. annorum.
4. Non ingrediaris sine Comitaticibus.
5. Non audias Confessiones infirmarum, nisi Janua Cellæ aperta, assistentibus Comitaticibus, quæ unà cum Socio Te, & Infirmam videre possint, non tamen audire.
6. Non audies Confessiones in dicta Ecclesia in Sede Confessionali ante ortum, neque post occasum Solis. Præsentibus *ad triennium valituris*. In quorum &c. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

#### ADNOTATIONES.

**S**ERVATIS INFRASCRIPITIS  
CONDITIONIBUS. Cum omnes supra positæ conditiones respiciant custodiam Clausuræ, & observantiam Decretorum Sac. Congregat. non est dubium, quin possint in approbatione ab Episcopo Confessariis Regularibus prescribi, etiam pro Monasteriis ipsis subjectis, & quatenus non observentur, etiam puniri, & suspendi, prout declaravit Sac. Congreg. Concilii apud Bullam Gregorii XV. Inscrutabili in responsione ad 13. dubium, & tradit Donat. *prax. rer. Regular. tom. 4. tract. 13. quæst. 17. Sac. Congregat. Concilii in Neapolitana Jurisdictionis 16. Novembris 1669. apud Crisp. de visit. part. 1. §. 15. post num. 10. Tamburin. de jur. Abbatiss. disp. 24. quæst. 3. n. 4. & 5. Pignatell. consult. 48. n. 2. & 3. to. 5.*

2. AD TRIENNIVM VALITVRIS. Quamvis Episcopus possit ad tempus limitatum, & ad beneplacitum Regulares ad

confessiones audiendas approbare, ut jam firmatum fuit in *adnot. primæ Formulæ bñjus Tituli*, nihilominus Confessarius præsentatus ad confessiones excipiendas Monialium Regularibus subjeetarum, debet vel absolutè rejici, vel per totum triennium approbari, non verò ad tempus brevius; sic ad relationem Eminentiss. Card. S. Clementis respondit *Sac. Congr. Episcoporum, & Regularium in Catanien. favore PP. Min. de Observant. die 4. Maii 1656.*

Approbationis Confessarii Regularis in genere.

#### FORMULA XII.

##### SUMMARIUM.

1. Regulares, si velint confessiones secularium audire, non possunt iudicium, & approbationem Episcopi Diocesani effugere, quantumvis qualificati sint.

N. Epi-

## N. Episcopus N.

Dilecto Nobis in Christo P. N. Ord. N. Presbytero salutem,  
& Benedictionem.

Cum multa Christi Messes Nos cogat, undequaue ut ad auxilium nostrum Operarios advocemus, Teque pium, & doctum examine noverimus, aptumque, ut sub nostri regiminis Magisterio procurandæ fidelium salutis inferuias, administrando Pœnitentiæ Sacramento admovere statuimus: Prout presentes ad sex menses tantum valituras ad confessiones Christi fidelium excipiendas in hac nostra Diœcesi approbamus, ea tamen conditione, ut à casibus Nobis, & Sanctæ Sedi reservatis non absolvas. In quorum, &c. Datum, &c.

N. Episcopus N.

Loco ✱ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

## ADNOTATIO.

**OPERARIOS ADVOCEMUS.**  
Judicium Episcopi Diœcesani non valent Regularès effugere, quatenus velint confessiones Sæcularium audire in illius jurisdictione, nec prætextu qualitatis personæ qualificatæ, & in Religione primariæ, ut fatetur Passerin. *de stat. hom. rom. 2. quæst. 187. art. 1. num. 234. & seqq.* nec excusatione, quod ab Episcopo Diœcesano malè tractentur in examine; nam cum de hoc conquesti fuissent in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium Superiores Conventuum Civitatis Pisauri, & petiissent ipsis facultatem concedi, ut examini exponere possent suos

Religiosos coram Archiepiscopo Urbinate, die 4. Novembr. 1690. relata per D. Secretarium eorum instantia, omnium votis fuit rejecta cum rescripto *lectum*, & meritò, quia nullus Episcopus approbat Confessarios pro Diœcesi alterius, sed tantum sua, cujus sunt oves propriæ, & oportet illas in caulam Domini adducere, *Joan. 10.* Verum tamen est, quod Episcopus postquam illos simpliciter approbavit, non possunt suspendi, nisi ex causa rationabili superventa, ut præscribitur in *Const. Clem. X. superna §. Regul. vero*, quam tamen caulam non tenetur Episcopus ipsi significare, sed solum Sedi Apostolicæ ubi eam sibi aperiri postulaverit.

TITU-